

Nota.

Nota de eodem: Anno Domini 1342 circa festum Iohannis baptiste et deinceps per plures ebdomadas temporibus reverendissimi patris et domini nostri, domini Heinrici de Virnberg, archiepiscopi Moguntini¹, monasterii nostri fautoris et conservatoris fidelissimi, nostris peccatis exigentibus et divina permittente iusticia¹, factum est diluvium bene magnum, non solum ex pluvia nimia, sed ex occultis moncium, vallium et terre universalis meatibus erumpens et emanans super effluenter, et adeo quod² plurimas provincias et maxime circa Renum et Mogum fluvios ac alibi omniquaque in frugibus, fructibus, feno, edificiis, pecoribus et heu pluribus hominibus multiformiter et miserabiliter devastavit. Insuper maxima pars civitatum, precipue Colonie, Moguncie, Franckefurd, in medio fuerat aquarum, ita quod in maiori ecclesia Moguntina stetit vere usque ad cingulum hominis, et turrim magnam super pontem Franckefurdt apud domum Teutonicorum cum parte pontis diruit penitus et evertit. Preterea plurima horribilia et dampnosa evenerunt in variis provinciis, omnibus hec scribentibus nondum declarata³.

Gerlacus.

Gerlacus archiepiscopus de Nassauwe, archiepiscopus Maguntinus, regnavit 19 annis, anno Domini 1350. Idem edidit multa bona statuta provincialia et synodalia etc., sed in illo oberravit, quod privilegium ad coronandum regem Bohemie cum multis aliis libertatibus et privilegiis etc.⁴ Cui⁵ contra Heinricum de Wirnberg eo vivente erat provisum anno 1345 litigans cum domino Cunone de Falkenstein et provisoribus ecclesie Maguntine octo annis usque ad obitum domini Heinrici de Virnberg; eo autem defuncto sedit prefatus dominus Gerlacus pacificus ut supra. Causa autem promocionis⁶, ut dicitur: alienavit coronacionem Bohemie ab ecclesia Maguntina ad episcopatum Pragensem, quod⁷ tunc sub ecclesia Maguntina et suffraganeus, nunc autem archiepiscopatum⁸ factum. Cuius archiepiscopus Pragensis pro nunc coronat proprium regem Bohemie. Obiit anno 1371 post diem beate Scolastice virginis, que fuit pridie idus Februarii. Vacavit ratione electionis et postulacionis usque in feriam terciam ante Gregorii, que fuit quarto idus Marci, in qua quidem die duo fuerunt assumpti et nominati, quorum primus Adolffus de Nassauwe, filius

1) 'Moguntini — iusticia' fehlt im Cod. Eb. 2) 'quod' fehlt im Cod. Eb., der dafür 'per' und vor 'devastavit' ein 'omnia' hat. 3) Im Cod. Eb. hört dieser Bericht mit 'provinciis' auf. Die Mainzer Hs. ist offenbar hier genauere Copie der Quelle. 4) Der ganze Eingang bis hierher fehlt im Cod. Eb. 5) 'Qui' Mog. 6) Cod. Eb. am Rand 'fuit, quia' ohne 'ut dicitur'. 7) Cod. Eb. hat 'qui'. 8) 'archiepiscopatus factus' Eb.